EDINBURGI, IDIBUS APRILIS, A. D. MDCCCXXX.

IN COLLEGIO JACOBI SEXTI,

LITERARUM HUMANIORUM STUDIOSI, PRAEMIA, optime meritis proposita,

SEQUENTES TULERUNT:

EX CLASSE SENIORUM:

NUMISMA AUREUM, a Soc. Reg. Scrib. Linguæ Latinæ peritissimo quotannis donatum,

JOANNES LILLIE, Roxburgensis, Calsone natus educatusque.*

I.

Ob diversa genera *scriptorum* operum.



I. Ob Carmina Latina,

JOSEPHUS CAUVIN, GEORGIUS COTTON, } Scholae Regiae Edinensis alumni.

II. Ob Declamationem Latinam,

JOSEPHUS CAUVIN, Schol. Reg. Edin. alumnus.

III. Ob SOMNIUM SCIPIONIS Anglice redditum, Notisque et Commentariis illustratum,

JOANNES LILLIE, Roxburgensis.

---

* Cum eo consociati sunt, ex decreto Donantium, quatuor alii, PATRICIUS MURRAY, JOSEPHUS CAUVIN, GEORGIUS COTTON, JACOBUS FERGUSON, condiscipulorum suffragiis electi, ut uniuscujusque in Linguâ Latinâ profectûs periculum fieret: quo rite facto, optimum se praestitit is, cujus nomen supra dictum est.

IV. Ob Disputationem, Anglice scriptam, de Naturâ et Effectu Secessionis ad Montem Sacrum a Plebe Romanâ factæ,

= { PETRUS MACKAY, Bervicensis,
GULIELMUS HAIG MILLER, Sch. Reg. Edin. alumn. }

V. Ob Disputationem, Anglice scriptam, de Vitâ et Moribus AUGUSTI CÆSARIS,

L. C. ORR, Ayrensis. *

II.

Ob ingenii *facinora* egregia :

I. Ob operam *studiis*, quæ dicuntur, *privatis*, per quinque menses Academicos, horis subsecivis, accuratissime impensam,

1. In *Livio*,

GEORGIUS COTTON, Sch. Reg. Ed. alumn.

GEORGIUS THOMSON, (major) Scholae Parochialis in opp. *Dunse* alumnus :

2. In *Excerptis Poeticis*,

JOANNES LILLIE, Roxburgensis,

GUALTERUS WOOD, Academiae Edinensis alumn.

---

* His et omnibus *scriptis* quæ præmium affectabant affixa est sequens verborum formula, manu auctoris subscripta, unde nihil, ne minimum quidem, auxilii ei præbitum fuisse clare constaret :

" I hereby declare, upon the faith and honour of a gentleman, that the exercise on ———, with the mottos ——— was composed by me, without any assistance, either in the way of dictation, writing, or conversation, except what I received from the following books : viz. ———

" I also declare, upon my honour, that no one saw this exercise, or any foul copy of it, before it was given in."

——— ———

II. Ob Laudem Rectae Pronuntiationis, ex suffragio con discipulorum,

GULIELMUS E. AYTON, Academiae Edinensis alumn.

III. In Locorum, tum veterum, tum recentiorum, cognitione primas partes tulit,

ROBERTUS BORROWMAN, Sch. Reg. Edin. alumn.

Secundas autem,

A. LONGMORE, Acad. Edin. alumn.

IV. Duo Juvenes ex Classe Seniorum anni 1828–9, Literarum amore imbuti, nec aliam sibi, praeter laudem et utilitatis fructum, mercedem laturi, in Scriptorum Romanorum lectione per aestiva tempora studiose operam curamque posuerunt, ejusque rationem bene ordinatam mense Novembri 1829 reddiderunt; quorum nomina sunt,

GUALTERUS WOOD, Academiae Edinensis alumn.

GULIELMUS S. WALKER, Schol. Dunelmensis alumn.

V. Complures ex Classe Juniorum anni 1828–9, studiis Literarum Humaniorum per aestatem autumnumque incubuerunt; inter quos, quum de Praemio proposito certamen initum esset, ratione habitâ et quantum et qualiter singuli legissent, bonorum se optimum praestitit

JOANNES LILLIE, Roxburgensis;

Proximos illi honores occupaverunt,

PETRUS TINDALL, Bervicensis,

GULIELMUS COUSIN, Acad. Edin. alumn.

VI. Sub finem semestris curriculi, omnibus praemium nondum adeptis, duo extra ordinem proposita sunt praemia; unum ei, Qui optime Latinum in sermonem vernaculum, et, versâ vice, vernaculum in Latinum *ex tempore* converteret;

alterum ei, Qui plenissimam et accuratissimam omnium disciplinarum per quinque menses traditarum scientiam ostendisset:

1. Horum prius, quum ex competitoribus nemo inventus sit qui in utroque genere reddendi caeteris praestaret, bifariam partitum est; contigitque, in altero genere,

Joanni Brown Innes, Acad. Edin. alumn.

In altero,

Georgio Thomson, (minori,) Scholae apud *Houghton-le-Spring* alumn.

2. Alterum extra ordinem praemium, quaestione diu habitâ, condiscipulis quoque ipsis suffragantibus, sibi vindicavit,

Gulielmus Sinclair, Instituti Georgii Heriot alumn.

EX CLASSE JUNIORUM,

PRAEMIA TULERUNT SEQUENTES:

I. Ob Disputationem de Formâ Latini Sermonis Directâ et Obliquâ, et exemplum utriusque ex Livio mutatum et Anglice redditum,

Jacobus Gilchrist, Scholae Parochialis apud *Balmaclellan* alumnus.

II. Ob Carmen Elegiacum,

Gulielmus C. Wilkie, Scholae Hadintonanæ alumn.

III. Ob sermonem vernaculum in Latinum optime conversum,

Joannes Sturgeon, Gallovidiensis.

IV. Ob Librum octavum Æneidos, notis et disputatiunculis vernaculo sermone illustratum,

Jacobus Fortune, Scholae Parochialis in opp. *Dunse* alumn.

V. Ob Tractatum, Anglice scriptum, ubi Alexander et Hannibal perpensi sunt et inter se comparati,

Gulielmus Kevand, Scholae Wigtonensis alumn.

David Brown, Roxburgensis.

VI. Ob operam *studiis privatis* per semestre curriculum accuratissime impensam,

Joannes Sturgeon, Gallovidiensis.

VII. In Locorum, tum veterum, tum recentiorum, cognitione, optimum se praestitit

Georgius Ferrier, Acad. Edin. alumn.

VIII. Ex iis qui praemium nondum obtinuerant, optimus in disciplinâ tralaticiâ, ex suffragio condiscipulorum, judicatus est,

Henricus Imlach, Acad. Edin. alumn.

CARMEN PRAEMIO DIGNATUM.

ROMA.

Romae, principis urbium——

Hor. Od. IV. 3, 13.

[Versus qui asterisco (*) notantur leves quasdam mutationes, monente, nec tamen adjuvante, praeceptore, subierunt.]

Per loca divitiis et quondam splendida signis
Tendere, et heroum sedes penetrare decoras
Fert animus. Quisnam mihi dux Cyllenius altum
Pandet iter, Divûm tacitâ formidine pleno?
Tristitia invadit mentem, dum passibus oras *
Ausonias peragro lentis, regnique ruinas,
Quod gentes supra quondam caput extulit omnes,
Intueor tristes; dum facta decora Quiritûm
Justitiamque virûm memini super aethera notam.
Heu! qualem aspicio, qualem fecêre Tyranni,
Seclorumque vices, Romam! Quae, clara triumphis, *
Imperium, late quondam Regina, tenebat,
En jacet!—at magni semper stat nominis umbra!—
Nunc ubi solemnes delubra ad maxima pompae?
Divûm ubi votivis redolentes ignibus arae?
Praeses ubi est?—Quid enim tantâ de sorte relictum?
Nil nisi commixtis fastigia versa ruinis,
Altaque templorum, fato quoque debita, moles.
Quamvis, Roma, tuum super et Garamantas et Indos
Qui ferat imperium, et factis sibi nomina condat,
Ultor adest nullus; quamvis vestigia cuncta
Splendoris penitus collapsa ruêre prioris:
Attamen ire juvat, circaque videre locorum
Dulcia, et aeternas laudes meminisse Quiritûm.

Me vocat in primis Capitolî immobile saxum,
Templaque Divorum, sublimibus alta columnis.
O decus Italiae, te, et saxa petentia coelum,
Vos testor, (vidistis enim,) quae praelia vestram
Turbârint requiem, quantas induxerit aegra
Ambitio strages et iniqua insania belli.
Cernere ibi est donis opulentam et numine Summi
Patris, subnixamque jugis immanibus, Aedem ;
Parte aliâ, rupes Tarpeia, minantia, fato
Virginis insignis, fastigia tollit in auras.
Montis Aventini miranti surgit imago,
Quâ regnum posuit nudis in rupibus Horror,
Ex quo perfusa est fraterno sanguine tellus ;
Nec redolent frutices, nec rident gramina laeta,
Nec lassis arbor jucundam porrigit umbram.
Quid memorem Caci sceleris monumenta nefandi ?
Quid molem evulsam, tremuit quâ sedibus imis
Collis, et Ausonio concussae in littore rupes :
Haud secus ac rediviva cohors si ad bella gigantum
Surgeret, altisonisque Deûm confligeret armis
Vulsus Athos, Rhodopeque, et jacta Ceraunia coelo.
Deinde Palatinus, gemmis ornatus et auro,
Doctrinae sanctos ausus recludere fontes,
Scanditur, Aoniis sedes carissima Musis.
Quid Mausoleum memorem, quid templa Minervae ;
Quid Fora, et ingenti laetam splendore Columnam ?
Quid referam, qualis Fluvius regnator aquarum
Exeat Hesperidum, et latos sinuantia flexus
Exspatiata ruant per apertos flumina campos ?
Hunc tenet Ille locum, citharâ quem Musa docebat *
Pindaricâ pulsare manu : videorque videre
Te, divine Maro, spatiantem in littore : nullus
Est sine laude locus, nullum sine nomine saxum.

Continuo ante oculos adstat Ciceronis imago,
Mentibus inspirans et amorem laudis, et ignes
Insolitos, et quicquid id est quo, rapta diei
Aetherios inter tractus et luminis oras,
Sese anima evectam supra terrestria sentit.
Quid loquar eventus rerum, fugitivaque secli
Tempora? quid Syllam, Marium, quid marte Camillum
Conspicuum? quid saeva loquar duo fulmina belli
Scipiadas, totque heroas, quos, laudibus altis
Ornatos, Libitina manu est amplexa potenti? *
Vel quid Mortales memoro, quum a culmine lapsi
Sunt etiam Montes, horae monumenta fugacis? *

Quo rapior demens? Fatali cuncta ruinâ
Aetatis spatium in cineres et tristia vertit
Funera.—Tu,—quondam toti spectabilis orbi,
Roma, triumphatis quae gentibus aspera cunctis
Jura dabas legesque ignotis inclyta terris,
Quae fractos didicere tuo submittere fasces
Imperio,—quid tanta tibi molimina rerum,
Victricesque Aquilae, quid tot comitata triumphis
Bella dedêre? truces quid debellâsse tyrannos
Profuit, atque armis populos domuisse potentes?
Victa jaces, ignota tuis!—Quàm nescit eodem
Stare diu Fortuna loco: quàm, quicquid in orbe est
Labitur, ingentemque trahit sors magna ruinam!

JOSEPHUS CAUVIN,
Litt. Hum. *in Classe Seniorum Alumnus,*
MDCCCXXIX-XXX.

COURSE OF READING

Recommended to Students of Humanity to be pursued during the Long Vacation.

CLASSICAL.

1. Business of the Session to be carefully revised, and Notes extended; Odes of Horace committed to memory.

2. (*Senior Class*) Livy, from 26th Book forward, registering Difficulties from week to week, to be done with the assistance of a Dictionary only, and Latin Notes, particularly Ruperti's.—(*Junior*) Q. Curtius—Æneid—Cæsar, Gallic War—to be done under similar restrictions.

3. Crombie's Gymnasium—Dr Carson on the Construction of the Relative—Article GRAMMAR in Encyclopaedia Britannica, and in Edinburgh Encyclopaedia—Grant's Institutes of Latin Grammar—Johnson's Grammatical Commentaries—Bryce's Prosody, or Carey's.

HISTORICAL.

Rutherford's View of Ancient History, 2 vols. 12mo. —Russell's Ancient Europe—Rollin—Mitford's Greece —Ferguson's Roman Republic—Gibbon's Decline and Fall.—Robertson's Charles V. and America—Watson's Philip II. and Philip III.—Hume's History of England.—Pinkerton's Early History of Scotland—Dalrymple's (of Hailes) Annals—Robertson's History of Scotland—Laing's ditto.